

nerali Lugduni habitu anno Domini 1674, beatus Gregorius X. Pontifex Max., assentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia non nullas proposit conditions, quae nisi acceptarentur, nullus Unioni tractandae ac perficiendae locus reliquus foret; quarum prima fuit: „Ut inter sacras hymnодias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in Diptycha relatus memoraretur“, ut apud eundem Nicetam habetur loco citato. Eam vero conditionem a Graecis acceptatam fuisse et exequendo impletam testatur Pachymeres lib. 5. cap. 22.: „Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium duo consecuta sunt, vi prius conventorum; exuctoratio Patriarchae et Papae in Sacro commemoratione publica.“

§. 7 (15). Michaeli Palaeologo successor in Imperio fuit Andronicus filius damnato schismati adeo perditae adhaerens, ut, quoniam Pater unioni Ecclesiae Graecae cum Latina ineunda operam contulerat, illius corpus extra locum sacrum sepeliri permisit. Et quia, donec Ecclesiae Constantinopolitanae praesideret catholicus Patriarcha Joannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatum sibi schismatis instauracionem ad exitum perduci posse, Josephum quemdam haeretica labi infectum in Patriarchalem Sedem intrusit. Exinde res in pejus ruere coeperunt nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecosque Patres mature discussis, anno demum 1439 dejectus fuit divisionis paries, qui unam ab altera Ecclesia tam diu sejunctam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis peractae veritas, Joannes Palaeologus Graecorum Imperator jussit in sacris Diptychis reponi nomen romani Pon-

tificis, uti testatur vel ipse chismaticus scriptor Sylvester Sguropulus in historia Concilii Flor. sess. 10. cap. 12. Cumque subinde unionis constitutae decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermissit hic in sua responsione ad Eugenium IV. Pontificem data testari, a se quoque statutum fuisse, ut in Sacrificio Missae romani Pontificis commemoratione antequam aliorum Patriarcharum fieri deberet: „Unde cum nostris Aegyptiis Pontificibus et caeteris Clericis nostris statuimus, ut ubique, in omnibus Christi Ecclesiis, inter Missarum solemnia, prae caeteris Patriarchis, memoriam Tuae Beatinidis faciamus, sicuti in Sacris Canonibus cautum est“; quemadmodum videre est in actis Concilii Florentini a Cardinale Justiniano collectis part. 2. collect. 22. p. 323.

§. 8 (16). Post Joan. Palaeogum in Graecia imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos misisset, qui sibi periclitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non omisit, se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem; ideoque effectum, ut Pontificis romani nomen sacris Diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in historia Byzantia: „Imperator supplex rogatum Romam jam antea miserat, ut etiam Concordia Florentiae reconciliata restabiliretur inque magnae Ecclesiae Liturgiis Papae nomen e sacris Diptychis recitaretur.“ Pontifex autem promptum se atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem; simulque ipsum hortari et urgere non destitit, ut decretum Unionis in Concilio Florentino peractae pomulgaret efficeretque, ut nomen romani Pontificis „recitetur in Diptychis et pro ipso nominatim expresse ab universa Graecorum oretur Ecclesia, sicut ii, qui

Deo placuere et Constantinopolitani Patriarchae et Imperatores hactenus servavere“; ut habetur in Annalibus Raynaldi ad annum Christi 1451 n. 2.

§. 9 (17). Haec sunt, quae pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione Celebrantium orandi pro Papa in Sacrificio Missae; nec aliud praeterea addendum videntur, nisi quod ante hujusmodi Monitum Catholici Episcopi Graeci Orientales, in suis Synodis, hoc ipsum statuere non omiserunt; et Nos ipsi pro Italico Graecis opportuna decreta edere non praetermisimus. Anno Domini 1720 Zamosciae habita fuit Synodus Provincialis, de mandato fel. record. Praedecessoris Nostri Clementis Papae XI. ac praesidente in ea Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiscopo Edesseno et Apostolicae Sedis Nuntio in regno Poloniae, deinde vero a recol mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. ad Cardinalatus honorem assumpto. In hujus itaque Synodi decretis, quae etiam a piae memoriae Benedicto Papa XIII. similiter Praedecessore Nostro maturo praemisso examine confirmata fuerunt, sub titulo „de Fide Catholica“, sequentia leguntur verba: „Eadem de causa (nimur ad removendam omnem schismatis suspicionem) et ad demonstrandam sinceram Membrorum cum Capite conjunctionem, censuit etiam ac praecepit, sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut, ubicunque in sacris Diptychis commemoratione romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore sacrificii Missae, in translatione Oblatorum, fiat claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis Episcopus designari non possit.“ Consentiunt Patres Concilii Libanensis anno 1736 congregati, sub praesidentia dilecti filii magistri Josephi Simonii Assemanni romanae curiae praesulsi et alegati apostolici; in cuius pariter

Concilii decretis sub titulo „de symbolo fidei ejusque professione“, n. 12. haec occurunt verba: „Sanctissimi romani Pontificis commemorationem tam in Missis quam in divinis Officiis ante Reverendissimi Domini Patriarchae nomen, ut hactenus consuevimus, celebrare non ommittamus.“ Et hoc etiam Concilium, post accuratissimum rerum omnium examen, apostolica auctoritate a Nobismetipsis confirmatum extitit, ut videre licet in Nostra Constitutione, quae incipit: Singularis: tom. 1. Bullarii Nostri n. 31. Petrus Arcudius in suo opere de concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis lib. 3. cap. 39. monitum adscriptum pro Latinis Episcopis, in quorum dioecesis commorantur Graeci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missa commemorationem romani Pontificis, ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma: „Episcopi Latini omnino curare debent, ut sibi subditi parochi graeci in unione catholica sint et summum pastorem agnoscant juxta veterem morem pro illo solemniter deprecentur“ in sacrificio Missae, de quo nempe eo in loco agit. Consentanee autem ad hoc aequissimum monitum in nostra Constitutione pro Italico Graecis emanata, cui initium „Etsi pastoralis“, quaeque est 57. in Bullarii Nostri tom. 1. §. 9. n. 4., ita cautum fuit: „Deinde summi romani Pontificis ac ordinarii loci in Missis atque divinis Officiis commemoratione fiat.“

§. 10 (18). Sequitur pars altera ejusdem primi moniti, in qua, ut superius notatum fuit, injungitur Sacerdoti Graeco, ut infra Missam, postquam oraverit pro Pontifice romano, oret pro proprio Episcopo*), oret etiam pro suo Patriarcha, si tamen Catholici sint; nam si eorum alter vel uterque schismaticus esset aut haereticus, de

*) Vd. Canon.

illo aut illis commemorationem facere non deberet.

§. 11 (19). In Latina Ecclesia nulla sese offerre solet difficultas quoad commemorationem faciendam illius Episc., in cuius dioecesi Sacerdos missarum sacra facit. Hac de re Nos ipsi egimus in nostro opere de Sacrificio Missae sect. 1. n. 220. latinae editionis ibique demonstravimus, debere eum, qui in dioecesi aliqua Missam celebrat, Episcopi dioecesani loci mentionem facere, non vero alterius, in cuius dioecesi ipse ordinatus fuerit, seu cuius ordinariae Jurisdictioni subjectus sit; neque vero licitum esse Regularibus proprii Superioris generalis aut aliis sacerdotibus alicui Praelato inferiori territorium separatum habenti subjectis hujusmodi Praelati commemorationem facere in Missa: quum is honor deferendus tantummodo sit ei Superiori seu Praesuli, qui episcopali auctoritate et ordine est insignitus. Auctores vero, qui haec omnia tradunt et probant, ibidem a Nobis allati fuerunt. Quare nihil aliud hic adjiciemus, nisi quod praecitatus Dominicus Georgius, qui post editum nostrum illud opus, suum praelo dedit tractatum de Liturgia romani Pontificis, pluribus antiquis perlustratis codicibus, haec adnotata reliquit dicti operis tom. 3. cap. 3. n. 23. p. 52.: „Omnia ferme vetustissima exemplaria Sacri Canonis Missae post romanum Pontificem nomen Antistitis designant, quod quidem nomen Florus et antiquiores expositores Missae, quos in appendice damus, commemorant.“

§. 12 (20). Utque adhuc a Latina disciplina non discedamus, hoc etiam adnotabimus, *Episcopum Missam celebrantem, pro semetipso orare se indignum servum compellando*; quod consentaneum est his, quae leguntur lib. 8. Constitutionum, quae apostolicae dicuntur, inter opera Patrum

apostolicorum a Cotelerio eddita tom. 1. p. 407, ubi is, qui sacram facit, postquam pro aliis oravit, pro se ipso deprecatur his verbis: „Adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui Tibi offero“ etc. Praeterea sciendum est, in Urbe Romana solius romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipse non modo sit Summus Pontifex sed etiam specialiter Romanae Urbis Episcopus, ipsum vero Pontificem, dum Missam celebrat, pro se etiam orare ad eum plane modum, quod Episcopus quilibet celebrans pro se ipso Deum orat. „Postulasti (verba sunt Innocentii III. in epistola non adhuc edita, sed in registris Vaticanis asservata, lib. 9. n. 33., qua respondet Episcopo Auriensi sciscitanti quomodo Pontifex Missam celebrans de se ipso mentionem faciat:) praeterea doceri, quibus verbis Pontifex romanus utatur in eo loco Canonis Missae, in quo Sacerdos inferior dicit: una cum Papa Nostro, cum idem pro se tunc videatur orare, ac supra se Antistitem non habere; ad quod devotionis tuae taliter respondemus, quod Nos ibi dicimus: una mecum indigno famulo tuo.“ Denique notandum est, a Latinis Sacerdotibus commemorationem Archiepiscopi, uti Metropolitani, in Canone minime fieri, ut etiam notat accuratus P. Merati in suis Commentariis ad Gavantum part. 2. tit. 8. n. 5. et quidem etiamsi vacet Sedes Episcopalis: „Si vero Episcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita functus, praedicta verba omit-tuntur; nimurum de eo non sit commemratio: sed advertendum est, loco Episcopi non posse nominari Vicarium Capitularem, quia licet, sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius dioecesis. Rursus neque nominare potest Archiepiscopus aut Patriarcha provinciae, intra quam continentur Episcopatus Episcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam juris-

dictionem; quia Archiepiscopus aut Patriarcha non dicitur *Ordinarius in dioecesibus Suffraganeorum*.“

§. 13 (21). Nunc autem converso ad Graecos sermone, si quidem de *Italo-Graecis* agatur, hi omnimoda subjiciuntur jurisdictioni Episcopi Latini, in cuius dioecesi suum constituerunt domicilium, juxta Constitutionem 74. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV., quae incipit: *Romanus Pontifex* Bull. roman. tom. 2., de qua Nos fuse disseruimus in nostro tractatu de Synodo dioecesana lib. 2. cap. 12. novissimae editionis Romanae. Itaque hujusmodi Presbyteri Italo-Graeci in Sacrificio offerendo Latinam disciplinam sequi tenentur, commemorationem scilicet facientes romani Pontificis et Episcopi loci, nunquam vero Orientalium Episcoporum aut Patriarcharum, quantumvis Catholici sint, quum hi nulla fruantur jurisdictione in Italia et insulis adjacentibus, ut etiam statutum est in praefata Constitutione nostra: Etsi Pastoralis §. 9. n. 4. Bullarii Nostri tom. 1. Const. 57. Sane in dictato s. Gregorii VII. rom. Pont. can. 10. haec verba leguntur: *Quod Papae solius nomen in Ecclesia recitetur*. Et quidem dictatum hoc Conciliorum Collectionibus insertum reperitur, nimurum regiae Parisiensi, tom. 26., Labbeanae vero tom. 6. part. 1. Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controversiam, sitne dictatum illud genuinum opus s. Pontificis, an potius suppositum? adeo quidem ut P. Mabillonius in suo tractatu de studiis monasticis quaestionem hanc recensuerit inter graviores, quibus enodantis ecclesiasticae historiae Professores occupari possunt. Verum hoc etiam posito, dictatum esse genuinum opus s. Gregorii VII., vera ac germana citati Canonis sententia haud quidem est, ut in Ecclesia Latina Episcopi dioecesani nomen a Missae Canone sit

removendum, sed ut eidem minime inserantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui scilicet tunc temporis hac conditione consensuros se dicebant, ut romani Pontificis nomen in Liturgia reponeretur ac per universas Orientis Ecclesias pro eo preces fierent, si vicissim Pontifex consenseret, ut ipsorum nomina a Sacerdotibus Latinis Ecclesiae romanae aliarumque ecclesiarum romani Patr. in Canone Missae recitarentur. Quae quidem conditio jure optimo rejecta fuit, prout sapienter observat Christianus Lups ad Concilia part. 4. p. 437 editionis Bruxellen: „A schismate recessurus Michael (de Michaele Caerulario Constantinopolitano Patriarcha loquitur) petuit nomen suum inscribi romanis tabulis spoonditque Pontificis nomen omnium suarum ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo (romanum Pontificem innuit s. Leonem IX.) noluit annuere: mutua enim Patriarchalium nominum recitatio viguit in solis aequalibus et consoribus, Orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Haec enim Orientalium non tantum soror sed etiam caput est et mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi nomen unquam recitavit.“ Et sequenti pag. 438 ita prosequitur: „Orientalium Patriarcharum nomina unquam recitavit Romana, imo nec ulla Latina Ecclesia.“

§. 14 (22). Haec perlinent ad Italo-Graecos. Verum quod spectat ad caeteros Graecos et Orientales, monitum istud Euchologio praepositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitarum et Patriarcharum mentionem facere in Missa, sed cavet tantummodo, ne id fiat, quatenus illi schismatici sint aut haeretici. Constat antiquum esse morem in Eccl. Graeca, ut in Missarum precibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quae scripsit de Pa-

triarcharum juribus, haec scripsit: „Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei sive ad Euphratem sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.“ Goarius in notis ad rituale graecorum p. 63 hoc refert veluti usu receptum, videlicet: in Graeca Liturgia Sacerdotem orare pro omnibus Episcopis et pro Metropolitano. Meratus autem in notis ad Gavantum tom. 1. p. 539 Romanae editionis, postquam illud posuit, quod supra retulimus, in Ecclesia Latina Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missa, vacante licet Ecclesia suffraganea, ita subdit: „Hoc tamen non observatur a Graecis aliquique Orientalibus, qui Patriarcham nominant et Metropolitam.“ Neque id ipsum in saepe indicato monito iisdem indefinite prohibetur, sed tunc solummodo quum Metropolitae aut Patriarch. schismatici sunt vel haeretici juxta regulas jampridem receptas atque statutas, antequam Euchologii correctioni manus admoveretur. Sane in Congregatione Sancti Officii anno 1673, quum de hoc disciplinae capite actum fuerit, decretum prodit tenoris sequentis: „In Congregatione Generali Sancti Officii die 7. Junii 1673: Utrum in Missa possit nominare Sacerdos in Oppido Liburni Patriarcham Armenorum, pro ipso orando, qui est schismaticus, quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis et majori erga Latinos alliciatur affectu? Sacra Cong. respondit: non posse et omnino prohibeatur. In eadem Congregatione 20. Junii 1674 lectis literis R. P. D. Nuntii Florentiae, datis die 10. Apr. 1674 scriptis Sacrae Congregationi de Propaganda et ab eadem remissis ad Sacram Congregationem Sancti Officii, decretum fuit, quod rescribatur eidem Nuntio, ut quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum Sacra Congregatio stetit in decretis

emanatis anno 1673, videlicet, non posse et omnino prohibeatur.

§. 15 (23). Consonat aliud plane simile decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Copthorum habita anno 1732, ubi inter alia proposita dubia hoc fuit: „An et quomodo emendanda sint verba, quibus Sacerdos commemorationem facit de Patriarcha, Episcopo“ etc.? Responsum autem datum fuit hujusmodi: „Initio Missalis ponatur rubrica, in qua admoneatur et instruatur Sacerdos de iis, quae spectant ad celebrationem Missae et inter alias rubrica specialis de commemoratione romani Pontificis, neconon Patriarchae et Episcopi, si sint uniti romanae Ecclesiae, sin minus, eorum commemorationem omittatur; quae rubrica proprio loco repetatur.“ Porro haeretici atque schismatici excommunicationis majoris censurae subjecti sunt ex lege Can.: de Liguribus. 23. quaest. 5., et Can.: Nulli, 5. dist. 19. Sacri autem Ecclesiae Canones pro excommunicatis orari publice vetant, uti cautum legitur in cap. A Nobis, 2. et in cap. Sacris, de Sent. excom. Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemnni Sacrificii prece pronuncientur; quod plene congruit veteri disciplinae, de qua Estius in 4. Sententiar. dist. 12. §. 15. Satis est in eum finem mente animoque Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis et ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum reducere dignetur; quemadmodum pergit Sylvius in 3. part. D. Thomae tom. 4. quaest. 83. art. 1. quaest. 9. Atque haec est ipsiusmet s. Thomae doctrina in 4. Sent. dist. 18. quaest. 2. art. 1. in responsione ad primum: „Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quae pro membris Ecclesiae fiunt.“ Neque ut huic

christianae charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae, quae a fidelium sibi obsequenti catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate et obedientia separarunt, quaeque, dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab Officio Missae, quae publicum est Sacrificium, excludit. Quapropter Ven. Card. Bellarminus controversiarum tom. 3. lib. 5. de Missa cap. 6. optime ad rem nostram scribit: „Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore Sacrificium offerre pro haereticorum sive infidelium conversione? Ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinae Ecclesiae, quae nunc est in usu, refertur ad fidèles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra tum intra Canonem. Respondeo: Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni infidelium seu haereticorum: id enim faciunt viri pii et docti, quos reprehendere non possumus, nec extat Ecclesiae prohibito.“

§. 16 (24). Nullum quidem verbum in hoc primo monito fit de commemoratione seu prece inter Missarum actionem habenda pro Imperatore, Rege universoque ejus Palatio et Exercitu. Sed quum id plurimum connexionis habeat cum caeteris rebus in eodem primo monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea, quae sequuntur, adjicere.

§. 17 (25). In omnibus Euchologiis sive impressis sive manuscriptis, quae antea sunt correctione a Leonitio peracta, adscriptae leguntur preces habendae pro Imperatore, Rege ejusque Palatio et Exercitu. Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habita die 1. Maii anno 1746 proposum fuerit dubium: an hujusmodi preces tolli deberent? rescriptum fuit, Nobis subinde approbantibus, relinquendas eas esse in Canone seu Liturgia. Sed quoniam Graeci easdem olim preces in Prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: Non autem habendas esse in Prothesi seu preparatione. Superfluum namque visum est hujusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsae jam fiunt in Canone seu Liturgia. Atque ad hunc plane modum exacta res est in nova Euchologii editione seu correctione.

§. 18 (26). De commemoratione Imperatoris seu Regis, cujus temporali dicti regio subjecta est, quatenus in Canone Missae quibusdam in locis fieri solet, Nos ipsi jam disseruimus in nostro tractatu de Sacrificio Missae sect. 1. n. 221. Et quidem Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. n. 4. testatur, in multis Latinis Eccl. nomen Regis in Canone commemorari. Praeterea Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus l. 1. cap. 4. art. 8. n. 9. post allata monumenta ad id opportuna ita concludit: „Ex constanti Ecclesiae traditione ab Apostolis accepta certissimum est, pro Regibus et Principibus inter Sacra Mysteria semper oratum fuisse.“ Ubi satis patet, auctorem ad ea se referre, quae scripsit Apostolus in epistola 1. ad Timoli. cap. 2. mandans, orationes et obsecrations fieri pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, neconon ad ea, quae leguntur in Constitutionibus, quae Apostolicae dicuntur, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornata tom. 1. lib. 8. cap. 12., ubi haec habentur: „Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege et pro iis, qui in sublimitate sunt et pro cuncto exercitu, ut res nostrae in felicitate versentur“; deinde seq. cap. 13. iterum legitur: „Pro Regibus et in sublimi potestate Constitutis oremus, ut res nostrae pacifiae sint.“ Videri etiam hac de re potest Gregorius in praecit. tom. 3. de Liturgia rom. Pont. lib. 4. cap. 3. n. 4.

Quidquid autem sit de controversia illa, quae inter Balutium et Lupum agitata fuit, de tempore nimirum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio Regum subjectis, quam quidem quaestionem fusiori calamo tractat citatus Lopus in Can. 10. Dictatum s. Gregorii VII., illud satis compertum est, commemorationem Regis fieri in Ecclesia Latina per eas regiones, in quibus hujusmodi consuetudo dudum recepta est aut Apostolicae Sedis concessio, id permisit, ut adverterit Meratus ad Gavantum cit. tom. 1. p. 1. pag. 539. n. 6. juxta editionem Romanam.

§. 19 (27). At apud Orientales nationes communis dici potest haec disciplina memoriam faciendi Regis in sacra Liturgia, ut videre licet in Liturgiis Armenorum, Coptorum, Aethiopum atque Syrorum. Si quis autem quaereret, qua ratione id tolerari possit, ubi certo constet, Reges illos, pro quibus orant et quorum commemorationem in Liturgia faciunt, infideles esse, huic Ven. Card. Bellarminus respondet, uti reipsa respondit in superius citato cap. 6., nequaquam vetitum esse ex natura rei, ut ejunt Theologi, orare in Missa etiam pro Infidelibus; quandoquidem Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane divus Thomas in 4. Sentent. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad quartum docet, quod quamvis s. Augustinus in libro de origine Animae scriperit, Sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, haec tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel jam Christi membra sunt vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiae esse dimetiendam: „Certum est ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiae, licere offerre pro hujusmodi hominibus“; de Infidelibus loquitur: Cumque hujusmodi pro-

hibilio extet quoad excommunicatos adeoque quoad haereticos et schismaticos, non vero quoad infideles, qui excommunicatione non ligantur, hoc satis esse ait, ut de his commemoratione fieri possit in Missa atque etiam pro his Sacrificium offerri juxta manifestam hac de re traditionem et constitutionem Apostolicam. „Sed quaeret aliquis: utrum, si Rex infidelis est, ut in Graecia, ubi Turca dominatur, et in India et in Japonia, apud Sinas, ubi Etnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege? Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges haeretici sed Paganus sive Ethnicus. Nam haec traditio, immo et constitutio, apostolica est, ut paulo ante ostendimus. Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibito.“ Ad haec non inutiliter subjiciendum occurrit textus Tertulliani ad Scapulam cap. 2., ubi sic legitur: „Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsis, sed, quomodo praecepit Deus, pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris aut sanguinis alicujus.“

§. 20 (28). Verum relictis in sua probabilitate hujusmodi assertionibus nihil illis opus fuit ad hoc, ut Imperatoris et Regum commemoratione in Graeci Euchologii textu relinquatur. Innotuit siquidem, Graecos catholicos interrogatos, num in praefatis commemorationibus habendis hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis, quos Dominos temporales patientur, ex quo suis propriis Principibus orbati fuerunt: respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Regibus et Christianis Principibus orient. Ita testatur Goarius in notis ad Euchologium p. 28, ubi ait interrogationi Graecis Catholicis a se propositae: an preces illas pronunciando pro Turcis Deum deprecari intenderent,

constanter ab iis fuisse responsum: „Solos ut piissimos et a Deo custoditos Reges Principes nostros Christianos profiteri et quos dominio expostulant, fide jam et religione rectores dominosque in Ecclesiis praedicare et pro eis solis impretermisse, etiam libris editis preces supprimentibus, orare velle.“

§. 21 (29). Sequitur nunc secundum monitum ex his, quae novae editioni Graeci Euchologii praefixa fuerunt, in haec verba conceptum: „Ad haec, in eadem Divina et Sacra Liturgia Sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona eaque decenter ac religiose supra caput tollens ad altare defert, circumducens et procedens per templum, dum interim populus summa cum reverentia et devotione inclinat caput et procidit, supplicants, memoriam sui fieri in ea donorum circumductione. Sed, quia nonnulli fidelium procidentium circumdata dona tamquam Corpus et Sanguinem Christi adorant atque existimant, ab introitu fortasse praesanctificatorum decepti, quando scilicet praesanctificatus panis defertur, ignorantes differentiam, quae inter hanc et illam delationem intercedit; idcirco oportet in hoc operam suam studiumque impendere, ut cunctos fidèles accurate doceat admoneatque de illa, quae inter utramque donorum delationem intercedit, differentia; cum alia quidem dona nondum sint immolata et perfecta, alia vero Dei verbo confecta et sanctificata, et haec religiosissime debeant coli et adorari, cum sub specie ac symbolis panis et vini Corpus et Sanguinem Christi contineant: secus vero, antequam consecrantur et perficiantur.“

§. 22 (30). Jam illud recte nostis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, duos in vestra Liturgia esse ingressus, minorem alterum alterum majorem nuncupatum. Minor est ille, quo sacri

Evangelii Codex infertur; major autem ille est, quo sacra dona, nimirum panis et vinum, non adhuc consecrata, a parvo altari seu mensa, quae prothesis dicuntur, super quam praeparata fuerant, supplicationis ordine instructo, ad sacram altare deferuntur. Itaque in secundo capite hujus moniti, non quidem agitur de minori ingressu sed de majori; in quo nimirum Ritus hujusmodi observatur, ut panis in patena obtectus velo supra caput deferatur vel a Diacono vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando solemne Missae Officium celebratur cum assistentia et ministerio Diaconi, tunc enim hic sinistra manu patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui calicem cum vino usque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem patenam cum pane supra caput suum sinistra manu sustinet, dextra autem sacrum calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur majorem ingressum contigit, ut populus inclinetur seu, pro vario regionum more, in terram procumbat ac fronde humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini continetur. „Populus passim in Graecia quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero prosternit se, terram fronde percutit ac veluti praesentem in ea oblatione coelorum Regem alloquitur et adorat. Verba sunt Petri Arcudii de Concordia Eccles. Occid. et Orient. lib. 3. cap. 19.

§. 23 (31). Christianus Lupus part. 3. suorum operum super Conciliis edit. Bruxell. p. 760 Ritum describit majoris ingressus, quando Patriarcha aut Metropolitanus Missam celebrant. Magri

in vocabulario ecclesiastico verbo: prothesis singillatim describit quae- cumque fiebant ab Imperatore, Sacrae Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius in notis ad Liturgiam s. Joannis Chrysostomi n. 110. totam actionem ingressus majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 9. n. 4. Quaecumque vero ea occasione a Graecis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Coptis, Aethiopibus ac Syris Jacobitis, ut videri potest apud le Brun in explana- tione Missae tom. 3. apud Chardon in historia Sacramentorum tom. 2. cap. 2. et Renaudot. tom. 1. in notis ad Li- turgiam Copthorum. Quin etiam in hac Romania Urbe in festo s. Athanasi videre est Graecos in sua Ec- clesia ea omnia facientes, quae supra recensuimus: „Et ita etiamnum hodie faciunt Graeci in festo ac in Romana Basilica s. Athanasii“, ait Lopus l. c.

§. 24 (32). Perspectum quoque vobis est, Venerab. Fratres, Dilecti Filii, juxta Ritum vestrum, diebus jejunii quadra- gesimalis, solam tantummodo Prae- sanctificatorum Missam apud vos celebri, exceptis Sabbatis et Dominicis diebus, neconon Festo Annunciationis B. M. V., si in Quadragesimam inciderit: ad normam Canonis Trullani 50. his verbis concepti. „In omnibus sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato et Dominica et sancto Annunciationis die, fiat sacrum praesanctificatorum Ministerium.“ No- stis etiam, Sacerdotem, qui Missam celebrat in Quadragesima, diebus, quibus hoc fieri conceditur, Sabbato scilicet et dominico die, unam quidem ho- stiam consecrare et consummare, alteram vero consecratam seponere, quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus celebranda est praesanctifica- torum Missa, in qua nimirum et se-

ipsum et alios, si qui sint communi- cantes, eucharistico pane superioribus diebus consecrato communicat, quemadmodum recte omnia persequitur Leo Allatius in prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum de Missa praesanctificatorum p. 1531 n. 1.: „Quilibet Sacerdos ven- turae hebdomadis dies, quibus cele- braturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas panis in oblatione abscondit, quod Missas dicturus est; eas cum particula eo die absumenda, consecrat et consecratas sanguineque dominico intinctas, ut moris est, con- conservat in pyxide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, co- chleari, aliis ibi ad alium usum rel- dictis, haurit et in disco reponit et ad altare majus advectam consumit.“

§. 25 (33). Hac item occasione per Ecclesiam solemni Ritu proceditur, Dia- cono sacram pyxidem, in qua Sacra- mentum sub specie panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto: Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebret, ipse sinistra manu defert pyxidem capiti impositam, de- xtera autem calicem sustinet: atque ita a parvo altari ad Aram maiorem progreditur, ut testatur Arcadius in citato opere lib. 3. cap. 58.: „Solent Graeci in praesanctificatis Liturgiis, antequam incipient Sacrum, reponere Sacramentum contentum in patena super parvum altare propositionis et infundere vinum in calicem sine ullis pre- cibus. Deinde circa medium sacrum Sacerdos, si solus celebrat, patena im- posita capiti et calice manu dextera appreheenso, transfert ad majus altare etc. Si vero Sacerdos hujusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet patenam cum Sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti de-

fert. Ipse autem, accepto calice, exit et Diaconum sequitur.“ Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere aliquis idoneis actibus con- secratum panem a Sacerdote vel a Diacono, ut supra diximus, delatum uti par est adorare. Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia pre- stentur a populo, dum in functione majoris Ingressus panis et vinum non adhuc consecrata, sed postmodum con- secranda, supplicationis Ritu per Ec- clesiam deferuntur, hoc illud est, quod negotium facessit quodque locum pre- buit difficultatibus adversus ingressum majorem excitatis. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiae cap. 24. ita scripsit: „Si qui autem sunt, qui Sa- cerdote cum donis ingrediente humi procumbunt et tamquam Corpus et Sanguinem Christi dona, quae defe- runtur, adorant et alloquuntur, ab in- gressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam hujus et illius Sacrificii: hoc enim in ipso ingressu non sanctificata habet dona et nondum perfecta; illud autem perfecta et sanctificata et Corpus et Sanguinem Christi.“ Et post eum Arcadius ita prosequitur in eodem citato opere lib. 3. cap. 19.: „Itaque populus ignorans discrimen hujus et illius Liturgiae similiter se gerit in ordi- nariis atque in praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus Sacerdos in patena defert meritoque populus humi procumbit atque adorat: in aliis vero Sacrificiis, dum haec oblatio sit ante consecrationem, longius se gerat oportet.“ Idem Arcadius in subsequentibus ejusdem libri capitibus refellit Ga- brielem Archiepiscopum Philadelphiae, qui plura scripserat ad vindicandum hujusmodi Ritum. Quin etiam Goarius, praeallegato loco, necessarium duxit ad eundem Ritum tuendum oppor- tunas quasdam rationes afferre. In re-

centiori editione operis inscripti „per- petuitas fidei catholicae de Sacramento Eucharistiae: aduersus Claudium vin- dicata“ p. 68 hoc scriptum legitur: tantum abesse, ut Graeci Sacramen- tum Eucharistiae non adorent, ut po- tius sese purgare teneantur, ostendentes, quomodo recti limites non excedant, nec iisdem adorationis actibus prose- quantur panem et vinum nondum con-secrata, quibus ea post consecrationem venerantur. Pater le Brun non dubi- tavit asserere, talem esse Ritum, ut aliquo modo reformari mereatur. Tour- nefort tom. 3. p. 411 et seq., quum se propriis oculis vidisse referat Ar- menos functionem hanc peragentes, cum aliqua indignatione de ea loqui- tur. Chardon loco superius notato ea affert, quae scripserunt Tournefortius et Pater le Brun; deinde quaestionis punctum indecum relinquit. Itaque Patres Concilii Zamosciae habitu anno 1720 Decreto de celebratione Mis- sarum §. 4. non dubitarunt interdicere, ne qua fiat genuflexio aut capitis in- clinatio, dum panis vinumque nondum consecrata a parvo altari ad majorem Aram transferuntur. „Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones seu capitis in- clinationes, dum transfertur panis ob- lationis a minori ad majus altare pro- consecratione; tempore Offertorii pre- cipitque parochis, ut populum hac de- re moneant, ne periculo indolatriae exponatur.“ Illud enim Patres fortasse pree oculis habuerunt, quod in sacro tex- tu refertur lib. 4. Regum cap. 18. de Ezechia Rege Juda, qui serpentem aeneum a Moyse conflatum fregit, pro- pterea quod filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

§. 26 (34). Haec sunt, quae Nobis licuit colligere ex libris auctorum, qui de hoc Ritu tractarunt. Nunc autem ea subjiciemus, qui circa eundem Ritum animadversa et constituta fuerunt tum in Congregationibus sub Urbano VIII.